

2475

C O D I C E S

2476

etiam putem. Vide, quae de ejusmodi commentis ad *Codd. DC-LXXIII.* aliosque dicta sunt.

XII. fol. 151. p. 2. *Liber beati Augustini de contemptu mundi Incipit feliciter.* Ita: *Audite fratres charissimi salutiferam nostri patris doctrinam &c.* Spurius, ut alias.

XIII. fol. 154. p. 2. *Epistola beati Ieronimi presbiteri ad paulinum presbiterum feliciter incipit.* Initium: *Obsecro te pauline carissime ut multitudines hominum et salutaciones &c.* Cento contextus ex *Epistola* potissimum LVIII. T. I. *Opp. edit. Vallars. col. 316.*

XIV. fol. 155. p. 2. *Tractatus eximij doctoris Bonaventure ordinis minorum de corpore christi et de preparatione ad eius deuotam susceptionem ritamque celebrationem mysterii missae Incipit feliciter.* Initium: *Ad honorum gloriose ac indiuidue trinitatis ad honorem excellentissimi sacramenti &c.* Extat T. VII. *Opp. omn. Lugd. 1668. p. 67. in Capita XIV. tributus, non sine quadam Lectionis diversitate. Ad Cod. calcem: Explicit — Anno incarnationis domini M. CCCC. XCIX.*

XIV. fol. 163. praevio Capp. XVI. Elencho *Manuale*, ut in calce, *parochialium sacerdotum.* Initium: *Quoniam ex quorundam simplicium ignorantia sacerdotum &c.* Sub finem: *Adum Anno Domini M. CC. LV.* Atque his iisdem verbis terminatur Editio f. 1. et a. 4. quae mihi adjacet. Plures aliae Sec. XV. indicantur in *Suppl. meo Maitair.* Diversum ab hoc Tractatu est *Mich. Lochmayr Parochiale Curatorum.*

DCXLVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 510
Folior. 158. 4. non una manu, commode tamen perscriptus his constat Opusculis: I. ut in Elencho praevio, *Consolatoria epistola ad quendam recenter reformatum.* Initium: *Ihesum christum filium dei in bethleem iude natum à tribus magis humiliter adoratum et muneribus deuote honoratum iugiter pro salute. Pater in domino karissime in salutacione iam premissa munusculum quoddam vobis destinaui quo in celo et in terra dulcius et preciosius nichil inuenitur, ipsum scilicet summi regis filium &c.* — qui monasteria ordinis vestri plurima secundum seculi huius vanitatem solempniora fortassis et diciores pretergradiendo ad vos tanquam in bethleem locum humilem pie declinavit. — Occurrunt mihi aliqua huic reformationi apud vos salubriter incepte satis conueniencia. Atque hic narrat infelices casus quorundam in abbacia quadam Canonorum regularium beati Augustini admodum legali sed non adeo spirituali in quodam Archiepiscopatu hactenus longe constituta. Archiepiscopatum hunc Salisburgensem esse, *Epistolamque nostram ad Reformationis Monasticae Alberto V. Duce Austriae urgente anno 1418. per Monachos Sublacenses susceptae negotium pertinere, nullus ambigo; cumque consilii huius Alberto autor fuerit Nicolaus de Dinckelspühl Vien. Theologus, ut ejus Auizamenta apud Anselm. Schramb in Chron. Mellic. p. 309. et Mart. Kropf in Bibl. Mel-*

2477

A S C E T I C I.

2478

Mellic. p. 184. testantur, quidni hanc ei *Epistolam* tribuamus, scriptamque dicamus ad *Benedictum* quendam *Austriacum* non parvae inter suos autoritatis. *Intelligo enim*, scribit *Noster* in omnibus *salua* tamen *autoritate* et *prerogativa* *Prioris* quasi totam in *persona* *vestra* hanc *reformationem* consistere et *personam* *vestram* ad hoc multum posse suffragari ut *hec* *reformacio* *effectum* *forciatur* &c. Itaque omnibus illum modis adhortatur. *Dinckelspublium* *Benedictinis* *Coenobitis*, *Mellicensibus* maxime, additissimum fuisse constat. Atque huc pertinent, quae mox sub principium scribit: *Ego ipse me participem bonorum vestrorum fieri desiderans personam meam quasi unum ex vobis in materiis scriptis et scribendis ponere curavi.*

II. fol. 8. p. 2. Queritur *utrum* sit *licitum* *sacros* *libros* in *vulgari* *editos*. seu *de* *latino* in *vulgari* *translatos* *legere* *uel* *habere*. Respondetur: *quod* *huius* *modi* *libros* *legere* *dummodo* *heresim* *non* *contineant* *uel* *errores* *et* *maxime* *si* *de* *plana* *materia* *aperte* *pertractent* *et* *à* *libris* *sanctorum* *tam* *stilo* *di&aminis* *quam* *concordia* *sensus* *non* *discordent*, *est* *licitum* *et* *meritorium*. *Responsum* *istud* *per* *partes* *expeditur* *et* *declaratur*. *Inter* *alia* *per* *inductionem* *Hebraeorum*, *Graecorum*, *Chaldaeorum*, *Syrorum*,

Arabum, *Gothorum*, *Aegyptiorum*, *Ruthenorum*, *Sclavorum*, *et* *Armenorum* ostenditur *licitum* *esse* *sacras* *Literas* *vertere*, *et* *inferatur*: *Que* *ergo* *est* *ratio* *quod* *in* *tot* *nacionum* *linguis* *licet* *legi* *sacram* *scripturam* *et* *non* *in* *ydeomate* *theutonicali*? *Urget* *itaque* *hanc* *lectionem* *apud* *Populares* *suos*, *quorum* *multi* *sunt*, *ut* *ait*, *qui* *continuo* *legunt* *in* *libris* *de* *Rolandino*, *de* *bello* *trayano* *et* *sic* *de* *alijs* *ineptis* *et* *inutilibus* *fabulis*, *quibus* *alio* *loco* *ad* *cenfet* *Sermones* *Echardi*, *five* *Narrationes* *de* *fic* *dicto* *fido* *Eckardo*. *Nihil* *repugnat*, *hujus* *quoque* *Tractationis* *Autorem* *esse* *Nicolaum* *de* *Dinckelspubl.*

III. fol. 14. Incipit *stella* *clericorum*. *Iam* *indicata* *Codd.* *varijs.*

IV. fol. 22. *Methodus* *confitendi*, *cujus* *initium*: *Ut* *scholarium* *valeat* *congregacio* *aliqualem* *ut* *a* *suis* *expietur* *vicijs* *confitendi* *modum* *cognoscere* *subscriptam* *confessionem* *diligenter* *studere* *minime* *vilipendat* &c. *An* *ex* *ejusmodi* *Pecatorum* *Elenchis* *plus* *boni*, *malive* *proficiscatur*, *Problema* *esto.*

V. fol. 40. *Forma* *eligendi* *Abbatem*. *Item* *Modus* *visitandi*. *Item* *Inquirenda* *ab* *eo*, *qui* *ad* *ordinem* *recipiendus*. *Item* *Formula* *Confessionis* *Deo* *faciendae*. *Nihil* *in* *his* *aut* *antiquum* *valde*, *aut* *singulare.*

VI. fol. 42. p. 2. *Incipiunt* *versus* *signorum.*

Si quis adhuc artem signandi non bene nouit
Me legat et lecto sibi signet carmine multa.
Index appositus oculo visuque levato Deus.
Dat cbristum. sic inclinatus dat tibi statim Statim.

L 111 3

In

*In naso sursum si ducitur est tibi vngo Vngo.
Inferius ductus index signat tibi falsum &c. Falsum.*

Ita Verbis 167. traduntur Gefticulationes Autorum five signa arbitraria, nullius ingenii et Pueris relinquenda.

VII. fol. 45. p. 2. *Orationes ante et post Missam dicendae, quibus adtribuuntur Indulgentiae a variis, ut dicitur, Pontificibus concessae.*

VIII. Excerpta e *Gregorio Turonensi*, Notanda Theologica de variis Doctrinis et praecipue *Thomae Aquinat.* Item Excerpta e *Cassiani Collationibus PP.* Demum *Bulla Innocentii VII. continens Regulam fratrum et sororum de Penitencia Ordinis Predicatorum*, prout extat in *Ant. Bremond Bullario Ord. T. II. Romae 1730. p. 473. f.*

IX. fol. 72. Excerpta e *Sermonibus Ambrosii in Psalmos* et *Augustini in Johannem.*

X. fol. 117. Incipiunt *Epistole Senecae ad paulum Et Pauli ad Senecam.* Iam indicatae *Codd.* pluribus, puta *DCXII. &c.* neque tam castigatae, quam in edit. *Fabricii Cod. Apocr. N. T. P. II. p. 892.*

XI. fol. 119. p. 2. Incipit liber *Senecae de quatuor virtutibus Cardinalibus.* Sine Praef. *Martini Ep. Brauarensis*, ad quem pertinet, ut dictum alias. Adi *Indicem.*

XII. fol. 123. p. 2. Incipit liber *Senecae de copia verborum.* Initium: *Primum argumentum compositae mentis existimo posse consistere et secum morari &c.* Legitur in *Epistolarum paullo supra citat.*

IX. *Seneca Paulo Librum de Verborum Copia* mittere. Usus hoc Titulo Nugator quidam e *Scriptis moralibus Philosophi Libellum praetentem compilavit.* Meminit ejus *Fabricius in not. ad Epist. cit. et Bibl. Lat. L. II. c. 9. §. 9.* In *Codice* post se habet notum illud *Senecae Epitaphium: Cura labor meritum &c.*

XIII. fol. 132. Incipiunt *proverbia Senecae secundum ordinem Alphabeti.* Ita: *Alienum est omne quidquid optando euenit &c.* Vide, si commodum, quae de illis dixi ad *Cod. DCXII.* In praesenti sunt numero *DCCCLI.* Sententiae. Versio *Hispanica* cum comment. *Petri Diazii Toletani* edita *Antverp. 1552. 8.* quae mihi adjacet, non nisi *CCCLX.* censet. Itaque Exemplar nostro uberius non vidi. Adscriptus est illi sub finem locus ἀδελφός, qui incipit: *Cum multam iam mihi ex me desideranda Senecae fecerit &c.* agitque de stupenda *Senecae Memoria*, quem, si *Petracham Rer. Memorandar. L. II.* secutus inter *Lucii Opera* quae-ras, haud reperies; est enim *Marci* et legitur in ejus ingressu ad *L. I. Controuersiar.* Loco huic demum *Sententiae* quaedam *Asceseos christiana* subjectae sunt.

XIV. fol. 153. *Sequentia interrogatoria pridem fecit quidam frater Benignus Ros monachus monasterij de Secudiliis Ordinis sancti benedicti secundum dyoc. cuidam demoniaco existenti in capella sancte domine*

2481

A S C E T I C I.

2482

domine prope locum de barbarano archiepiscopatus Terracen. et vocatur Dyabolus coluber. Quaestio prima: Si adam non peccasset, mulieres si peperissent cum dolore? Responsum: Quod non; quia propter peccatum primi parentis pena fuit infligta mulieribus. Multa inepta de Damnatis rogantibus Deum, ne Socii, quos habuerunt, veniant in hunc locum, de corpore cujusdam S. Julianae coetaneae B. V. Mariae &c. Tempus hujus Commentii eruitur e Quaestione: Quis istorum pontificum erat verus papa. Respondit, quod primus. Dixit idem frater benignus, quod primus dominus Clemens. Iterum dixit demon, quod primus &c. Itaque post an. 1378. quo Clemens hic dictus VII. Urbano VI. obpositus fuit. Quomodo hic autem primus dici potest, electus mense Sept. cum Urbanus jam mense Apr. electus fuerit?

XV. fol. 155. *Epistola beati bernardi ad quendam nobilem militem de cura et modo Rei familiaris utilius gubernande. Vide, quae de subposito hoc Foetu, qui Bernardi cujusdam Silvestris est, ad Codd. CCXLI. et alios diximus.*

DCXLVIII.

⁵⁰² Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 100. 4. excepto primo Ternione perquam nitide scriptus et rubricis distinctus, olim *monasterij scotorum Wienne*, continet Sequentia: I. *Epistolam petri damiani ad Aripandum discipulum suum de correptione que fit uti-*

liter in sancti ordinis disciplina. Incipit illa: Aripando fratri karissimo. p. peccator monachus paterne dilectionis affectum. Exigis dilectissime fili ut tibi aliquid scribam &c. Est in edit. Paris. 1664. Opp. Petri Damiani O. S. B. Episcopi Card. Ostiens. a. 1072. defuncti T. III. p. 320. Opusculum XLVI. quod non uno loco e praesenti Codice emendari posset. Ita sub principium pro qui scribis rectius quod scribit, et pro seueritatis consuetudinem rectius sancti ritus consuet. legitur.

II. fol. 4. p. 2. habetur Excerptum ex Ejusdem *Epistola ad Teuzonem nobis thezonem beremitam, quae in edit. supracit. p. 343. est Opusculum LI. Fragmentum nostrum incipit ab iis C. 10. verbis: Tu quoque si recte si discrete si fructuose per viam vis sancte religionis incedere &c. et in eod. C. definit hisce: et mansuetudinis iura seruantur.*

III. fol. 5. *Sermo bonus ad Religiosos. Initium: Argentum igne examinatum &c. Hic nota itinera uiri religiosi qualis scilicet debet esse in ingressu et qualis in progressu &c. Insigniter bonus fit, oportet, cui Sermo hic bonus videatur, qui inter alia curandae inani gloriae et jaectantiae stercus asinum aceto infusum praescribit, malis item cordis affectionibus farinam ordeum cum succo malogranati.*

IV. fol. 7. absque Titulo *Tractatus de Confessione Sacramentali, cujus initium est: Cum sit ars arcium regimen animarum ignominiosum esse conuincitur electos ad hoc*